

Vossig de tribus Symbolis.

Calixti Praeemium in Augustini libros 4 de doctrina Christiana et Vincentij commentationem.

Oratio panagyrica.

Disputat. de Paulis.

de Baptismo & Eucharistia

de Sacro Santa Domini coena.

de statu animarum separatarum et.


Decem in Jho. Arrianos.


Programma. Jho. Neubisium.


~~de~~ ~~de~~ ~~de~~


Stylus Jho. Bugserum.











ASSERTIONES THEOLOGICÆ
 DE
 VTROQUE NOVI TESTAMENTI
 SACRAMENTO
 BAPTISMO
 ET
 EVCHARISTIA,

Q V A S

A. D. O. M.

SUB PRAESIDIO

FRIDERICI VLRICI CALIXTI
 S. THEOL. D. ET IN ILLVSTRI
 IVLIA PVBL. ET ORDINARII
 PROFESSORIS,

in publico auditorio addiem

IV. Nonarum & Septembris
 V. Iduum

examinandas proponit

IOHANNES MATTIAS *Duvel* / Batavus
 Auc. & Resp.

••)o(••

HELMESTADII

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CIO IOC LIV.



GENEROSIS, MAGNIFICIS ET STRENUIS
VIRIS

DN. ADOLPHO VVERNERO de PALLANT,
Domino in Seppel Borst & Ham Electoralis Brandenburgicae Dynastiae Civitatisq; Huissensis satrapæ, ac Ducatus Clivensis Mareschallo hæreditario;

DN. CASPARO ASYBERG, Domino
in Suerde / SERENISSIMI Electoris Brandenburgici Militiæ pedestris supremo Duci, ejusdemque statuto Ecclesiarum Invariata Augustanam Confessionem in Ducatu Clivensi amplectentium Moderatori

Nec Non

Admodum Reverendo atq; Clarissimo Viro

DN. M. VVENNEMARO ELBERO,
Ecclesiæ Vesaliensis August. Confess. Professæ Pastori bene merito, reliquarum eidem confessioni per Ducatum Clivensem addictarum inspectori dignissimo, suo ex sacro fonte susceptori Parentis instar suscipiendo.

Item

Consultissimis, Amplissimis, Spectatissimisq; Viris,

DN. MARTINO VVILICH

ET

DN. HENRICO SCHVVEM à Serenissimo Electore Brandenburgico constitutis iudicibus. Illi in Spetten & Gatterswiekerham / Huic in Isselburg: rerumq; Ecclesiasticarum, quoad professos Augustanam confess. Moderatoribus Prudentissimis, DOMINIS MAECENATIBVS & Patronis meis maximis Hasce Exercitationes submissè offert.

IOHANNES MATTHIAS Duve.



C Y N O E Ω .

THESIS I.

Votquot sese Christianos professi à sinceritate Christianismi non recedunt, cuncta fidei dogmata è sacrâ Canonicâ Scripturâ, utpote proprio & primario principio, deducenda & probanda esse agnoscunt: & proinde doctrinam de Sacramentis Novi foederis non aliunde quàm ex ipsâ illâ, Novo Testamento propriâ revelatione, arcessendam esse ultrò fatebuntur.

II. Etiam si autem sacramenti vox sit ἀγγελος, nec in Scripturâ sacrâ exstet, res tamen per vocem significata, si fuerit divinitus instituta, divinitus quoque erit revelata, & literis, quibus divinæ revelationes comprehenduntur, consignata.

III. Interim certum est, doctrinam aliquam de sacramentis in genere, quæ scilicet in genere eorum sit ratio, & quid propriè ijs competat, è S. scripturâ à priori extrui non posse. Neq; enim ulla inde promi poterit propositio, quæ omnibus in universum sacramentis communes leges ponat, sed unumquodque quod nos vel alij sacramentum appellant, ad propriam sedem, ubi institutio ejus consignata habetur, revocandum, & utrum inde probari & deduci possit considerandum.

IV. Si quæ igitur de sacramentis in genere proponenda esset doctrina, non posset illa aliunde quàm à posteriori è Scripturâ deduci: quam rem utpote minùs

A

neces-

necessariam, quæ sine dispendio præteriri possit, alijs expediendam relinquimus; hoc saltem nunc acturi, ut, quæ aquæ Baptismo, verè proprieq; dicto, & per ipsum Christum servatorem instituto, competunt, veluti in compendium redacta exhibeamus.

V. Priùs tamen de numero sacramentorum monere liceat, quòd nihil certi de eo determinari possit, quum pro latiore vel strictiore vocabuli acceptione vel plura sint vel pauciora. In Scripturâ quæ de sacramentis in genere nihil docet, designatum eorum numerum quærere, aut alijs inde promittere frustra fuerit. Neque primitivæ Ecclesiæ Patres quicquam circa numerum determinare ausi sunt, interim duo illa Baptismum & Eucharistiam habentes pro præcipuis & ab ipso Christo institutis sacramentis.

Sess. 7. de
Sacri. Can. 1

VI. Num itaque Tridentini rem nullo neq; Scripturarum neque antiquitatis fultam testimonio sub anathemate definientes excusari queant, videant quorum interest. Nos absque ulteriore circuitione ad doctrinæ de Baptismo considerationem accedimus.

libro de
Bapt.

Matt. 28, 29

VII. Quamvis verò non ignoremus vetustos Ecclesiasticos scriptores, baptismi vocem, rebus toto cælo diversis, quales sunt poenitentia, quæ Nazianzeno Orat. xxxix sive in sacra lumina, διὰ δακρύων, vel τὸ τῶν δακρύων βάπτισμα, & martyrium, quod eidem βάπτισμα μαρτυρίας καὶ αἱμάτων, item universale diluvium, quod *baptismum mundi* Tertullianus appellat, & ritus, secundum legem Mosaicam, immundos eorumque vestes lavandi, accommodare; nobis tamen non de alio baptismo nunc erit fermo, quàm eo quem ipse Christus Servator instituit quando jussit Apostolos *docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.*

IIX. Do-

II. Doctrinam autem istam vix rectius proponi posse persuasi sumus, quam si juxta quatuor causarum, quæ vocant, genera consideretur: ut quanam lotionis hujus causa sit efficiens, deinde quid materiæ sive remotæ sive proximæ loco veniat, quidve det formam, & quinam demum ejus sit finis sive effectus expendamus.

IX. Ista, mox fusiùs explicanda, angusto priùs ambitu complecti, & descriptioni involvere juvat hujusmodi: Baptismus est actio ab ipso Christo θεανθρωπῶν servatore nostro instituta, quâ quicumque Christo nomen dare, & Ecclesiæ Christianæ inseri cupiunt, tam foeminæ quam mares, tam infantes quam adulti, aquâ sive per immersionem sive per adspersionem abluuntur, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, ut ipsis hoc ritu significante & simul quod significat efficiente, remissionis peccatorum, regenerationis & adoptionis gratia vel conferatur, vel confirmetur & obsignetur.

X. Causam efficientem principalem sive autorem baptismi indicant prima descriptionis verba, quando asserimus esse actionem ab ipso Christo θεανθρωπῶν servatore nostro institutam. Ipse enim primus mandatum de baptizandis omnibus gentibus promulgavit.

XI. De hoc baptismo scribit S. Iohannes servatorem Nicodemo uni ex Iudæorum primoribus respondisse, *Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, item, nisi quis natus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei.* Ista verò licet prædictionis potius quam mandati vim videantur habere, includitur nihilominus vis legis sive mandati. Quando enim dicit nullum cœli hæredem fore nisi regnitum, perinde est ac si mandaret & quasi lege caveret, ne quisquam regenerationis

medium insuper habeat. Satis commodè Tertullianus
cap. 13. libro de Baptismo : *Lex tingendi imposita est & forma
prescripta. Ite, inquit, docete nationes &c. Huic legi col-
lata definitio illa, Nisi quis renatus fuerit &c. obstrinxit fidem
ad baptismi necessitatem.*

XII. Neque Christus baptismum solùm instituit,
sed suo exemplo, quum ipse haut indigus à Iohan-
ne utut renitente baptizari voluerit, nobis commen-
davit. Quamvis enim non venerit in carne peccati, a-
deoque baptismus in peccatorum, à quibus erat immu-
nis, remissionem ei necessarius non fuerit, venit tamen
in similitudine carnis peccato obnoxia: haut igitur ali-
enum à se existimavit sacramentum recipere, quale re-
cipiendum peccatoribus; ut ita nobis in omnibus simi-
lis fieret.

XIII. Materiam itaque circa quam sive objectum
baptismi omnes omnino homines esse, cujus demum
cunque sive sexus sive ætatis fuerint, universale Christi
mandatum & necessitas baptismi, quæ cuius peccato-
rum remissionis & salutis indigo incumbit, demonstrat.

XIV. Qui infantes baptismi capaces esse negant,
sine fide eos esse urgent. Sed per baptismum regene-
rantur, & proinde prorsus sine fide non relinquuntur,
quamvis nos, qualis sit illa fides, aut quomodo eam in
infantibus operetur Spiritus sanctus, non assequamur.
Nonnulli specie eandem cum fide adultorum esse exi-
stimant: rectius tamen consulti, quum videant se Scri-
pturâ hic destitui, iudicium suspendunt. Formula Con-
cordiæ inter Theologos Saxoniam, & superioris Germa-
niæ anno proximè præteriti seculi trigesimo sexto VVit-
tebergæ constituta, de fide infantum ita pronunciat:
Reijcimus errorem illorum, qui imaginantur, infantes placere

Deo,

Deo & salvos fieri sine actione aliqua Dei, quum Christus clare dicat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Etsi igitur nos non intelligamus qualis sit illa actio Dei in infantibus: tamen certum est in eis novos & sanctos motus effici, sicut in Johanne in utero novi motus fiebant. Nam etiamsi non est imaginandum, quod infantes intelligant; tamen illi motus & inclinationes ad credendum Christo & diligendum Deum, sunt aliquo modo similes moribus fidei & dilectionis. Hoc dicimus quum infantes dicimus fidem habere. Ideo enim sic loquimur, ut intelligi possit, quod infantes non sunt sancti & salvi sine actione divina in ipsis. Ad eundem ferè modum Corpus Doctrinæ Iulium in Ap- pag. 114
pendice: So bezeuget auch Christus Matth. 10, daß die Kinder so durch die Tauffe zu Ihm gebracht werden das Reich Gottes auch annehmen / denn der Geist der Wiedergeburt und Erneuerung ist in ihnen freestig / daß sie dasjenige / so ihnen in der heiligen Tauffe gereicht und geschenkt wird annehmen mögen / ob wir es schon nicht wissen noch verstehen / wie dasselbe geschehe. Und das meinen wir / wenn wir lehren / daß die Kinder einen eignen Glauben haben. Augustinus libro primo de Peccatorum meritis & remissione, capite ix, Christus, inquit, dat sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis. Ista nos quoque probamus & in ijs acquiescimus.

XV. Frivolum autem est, quod obijciunt, de baptizandis infantibus neque peculiare mandatum, neque baptizatorum ullum in Scripturâ exstare exemplum. Si enim illud non est faciendum, cuius in Scripturâ nullum legitur exemplum, & de quo nullum speciale exstat mandatum, non tantum infantes baptismo, sed etiam foeminae sanctâ Eucharistiâ arcendæ erunt.

XVI. Materia duplex constitui potest. Primum

A 3

qui-

quidem aqua eaque vulgaris, vera & naturalis, talis scilicet quali Iohannes baptizasse legitur Matt. III, 6 & 16; & Iohan. III, 23; item Apostoli & alij, ut Act. VIII, 20: *Descenderunt uterq; in aquam, Philippus & Eunuchus; & baptizavit eum.* Et Act. x, 47. *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut baptizentur hi?* Vnde & Ephes. v, 26 *aqua lavacrum*, appellatur. Aquam itaque præmissâ consecratione præparari minimè est necessarium.

XVII. Materia alia ablutio est, quæ fit vel per immersionem vel per adspersionem. Ablutio ipsa est de essentiâ baptismi, modus verò abluendi est indifferens. Salvâ itaque manente sacramenti essentiâ immersio adspersione commutari potuit. Antiquitus, postquam licuit Christianis ædificare, templis jungebantur baptisteria, in quorum medio puteus erat, cui qui baptizarentur nudi immittebantur & ter mergebantur. Nec soli adulti, tam foeminae quam mares, sed etiam infantes nudabantur. Vt itaque adultorum pudori, & teneræ infantum valetudini, quæ istâ agendi ratione periculo exponitur, consulatur, nostræ Ecclesiæ adspersionem adhibuere, in quâ non minus quàm immersione, ἀναλογία inter abluionem externam & internam, quæ fit sanguine & spiritu Christi, servatur.

XIIX. Pronunciatio verborum, *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, baptismum ad esse actionis sacræ contrahit, & à vulgari lotionem distinguit. Subit itaque vicem *formæ*.

XIX. Notandum autem est vocabula *materia & forma* secundum analogiam aliquam hîc applicari. Nam quum sacramentum actione non unâ conficiatur, atque adeò non sit unum per se, sed per accidens; illa actio, quæ alteri iuncta eam restringit ad esse talis actionis sacræ,
locum

locum formæ obtinet, illa verò quæ restringitur, materia. Et forma subjectæ materiæ congrua itidem admittere videtur quamdam latitudinem.

XX. Dices fortè, Si singularum Trinitatis personarum commemoratio dat baptismo formam, ad hanc ipsam verborum formulam adstricti erunt baptizantes, nec aliâ uti licebit. Sed aliâ usos Apostolos docent Acta. Nempe cap. 11, 30, dicit sanctus Petrus auditoribus suis Iudæis, *Baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi.* Idem Act. x, 48 *jussit Cornelium ejusq; domesticos baptizari in nomine Domini.* Rursus Act. xix, 5: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* Cæterum locis allatis non docetur quâ formulâ usi sint Apostoli, sed quòd Iudæos & Gentes Christianam doctrinam & fidem amplexos baptizarint jussu & mandato Christi, atque in ejus doctrinam, fidem & cultum. Accedit quòd usus & praxis per tot secula post Apostolorum ætatem observata & ad nos devoluta tres personas expressas testetur, & ab Apostolico promanare exemplo persuadeat.

XXI. Interim non desunt, qui existiment etiam si inter baptizandum una nominetur persona, implicite tamen cæteras comprehendi, & baptismum esse verum ac sufficientem. Cui sententiæ aliquando favisse beatum Lutherum testantur verba ejus libro de Captivitate Babylonica capite de Baptismo: *Alij rigidissime nugantes, inquit, damnant sic dici, Ego baptizo te in nomine Iesu Christi; quo ritu certum est Apostolos baptizasse, ut in Actis Apostolicis legimus: voluntq; nullam aliam deinceps valere, quàm istam, Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Amen. Sed frustra contendunt, nihil enim probant, sua somnia duntaxat adferunt. Quocunq; modo tradatur baptismus, modò non in nomine hominis sed in nomine Domini tradatur, verè salvum facit.*

Tom. 4 Ie-
nenfi pag.
357.

facit. Ista ibi. Rursus epistolâ ad D. Iohannem Ruhē-
lium scriptâ an. cl. 10 xxix: *Das die Apostel haben in Chris-*
tus Namen getaufft/ ist recht/ vnd nicht weder die Form/ In
nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, denn keine ver-
boten/ nach von Gott se gewehret ist/ sondern beyde recht noch
heutes Tages. Cæterum à formulâ, quæ per totum Chri-
stianum orbem & olim obtinuit & ab omnibus hodie est
recepta, numquam temere recedendum erit.

XXII. Finis vel effectus baptismi est remissio pec-
catorum, regeneratio & adoptio in filium & heredem
Dei: quæ vel confertur non habentibus, ut infantibus re-
cens natis; vel confirmatur & obsignatur jam antè per au-
ditum Evangelij & fidem consequutis, utpote illis qui a-
dulti convertuntur. Accedit gratia per quam fit, ut vale-
ant vincere peccatum, ne ei seruiant.

XXIII. Baptismo autem tales effectus rectè tribui,
multis Scripturæ testimonijs evincitur. Sanctus Petrus
Act. II, 38: *Resipiscite & baptizetur unusquisq; vestrum in*
nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum. Act. xxii, 16
ab Ananiâ Paulo dictum testatur ipse Paulus: *Surge & ba-*
ptizare & ablue peccata tua, invocato nomine Domini. Ephes.
v, 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro eâ,*
ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ per verbum
Coloss. II, II; *In Christo circumcisi estis circumcissione quæ fit*
sine manibus, corpore peccatis carnis exuto in circumcissione Chri-
sti, consepulti cum eo per baptismum. Titum III, 5: *Ex suâ mise-*
ricordiâ servavit nos per lavacrum regenerationis & renovatio-
nis Spiritus sancti. Mirum igitur inveniri, qui perspicuis
Scripturis nubem obducant, dum præter nuda signa &
meras significationes baptismi nihil relinquunt.

XXIV. Ministrum baptismi quod attinet, ab ejus
dignitate aut qualitate aut probitate sacramenti hujus
virtus

virtus & effectus non pendet, sed à Christi instituentis promissione, virtute & potentiâ. Videri itaque potest Servator ipsemet noluisse baptizare, ne ex baptizantis personâ & dignitate baptismi virtus æstimaretur.

XXV. Ordinariè quidem non nisi per ministros ad docendum in Ecclesiâ vocatos conferendum esse extra controversiam est. In casu tamen necessitatis, quando periculum in morâ, nec Ecclesiæ minister adest, merè laicus, quin etiam mulier dandi baptismi potestatem piè sibi vindicare poterit. Omnis enim baptismus validus est, sibi que constat qui secundum Christi institutionem ritè, & integrè administratus fuerit, nec ministri indignitas vel vilitas ejus valori quicquam detrahere poterit. Hactenus itaque perinde erit sive à clerico conferatur sive à laico; sive baptizet mas sive foemina; sive orthodoxus sive hæreticus.

XXVI. Aliquam tamen baptismi intentionem requiri nolumus negare. Aliàs enim baptismum administrare censeretur, qui aquam medicatam vel aliam effundens ex devotione adderet, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Iterim non requiri intentionem, quæ ad effectum spiritualem feratur, sed tantum intentionem sacrum illum ritum, quatenus in externis actionibus est positus peragendi, nec actualem præcisè, sed saltem habitualem, ipsi agnoscunt, qui de intentione litigare solent, Pontificij. Respiciendo autem ad sacrum illum actum externum, is loco, tempore, personis, cæterisque circumstantijs ita determinatur, ut actu eum præstans, non possit subtrahere intentionem præstandi.

XXVII. Vtrum baptismus Iohannis idem fuerit cum baptismo Christi an diversus, curiosa & occiosa magis quæstio est quam utilis: ad praxin enim à nobis exer-

B

cen-

cendam nihil facit. Neque enim ad nos veniet aliquis à Iohanne baptizatus, moturus dubium num iterum novo baptismo sit initiandus. Praxis sanè, quæ circa baptismum hodie occupatur, neque deterius se habebit si-ve quæstio ista, de quâ veterum variant opiniones, solvatur, si-ve in medio relinquatur.

XXIIX. Improbanda itaq; Tridentinorum temeritas, qui ob rem indifferentem à suâ sententiâ dissentientes, anathemate feriunt. *Si quis dixerit, inquit, Baptismum Iohannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi anathema sit.* Si à ferendo anathemata abstinuissent, nobis non admodum obluçantibus ita sentire liceret. Sed novum fidei articulum priscae Ecclesiae ignotum, nobis obtrudi haut patimur, præsertim quum eam, in quam eunt definiuntque sententiam vix ullo niti fundamento, contrariam autem probabiliorem esse, intelligamus. Iohannes enim auctor non fuit baptismi, quem administravit, si-ve ipse eum non instituit, sed *Deus eum misit, ut baptizaret aquâ, Ioh. 1, 33. verbum Domini ad eum fuit factum, Lucæ, III, 2.* Vtriusque itaque baptismus, qui sub initium Novi testamenti cæpit, tum Iohannis tum Christi, in alium nullum quàm Deum auctorem, est referendus. Conveniunt, ut notum est, in ijs, quæ materiam constituunt. Conveniunt quoq; finem & effectû quod attinet. Nempe *Iohannes in deserto baptizabat, & predicabat baptismum penitentia in remissionem peccatorum. Marci 1, 4 & Luc. III, 3.*

XXIX. Hactenus itaque Iohannis & Apostolorum baptismus conveniunt in causâ principali efficiente, materiali & finali. Dicat tamen aliquis, formam non fuisse eandem. Ostendimus autem pridem, in hac variarum actionum conjunctione, formam secundum quamdam analogiam & æquipollentiam accipi. Dicimus itaque,
licet

licet verborum formulâ cum eâ, quâ inter baptizandum
usi sunt Apostoli, & hodie passim per orbem Christia-
num utuntur Ecclesiæ, non planè fuerit eadem, fuisse ta-
men æquipollentem, quæ etiamsi non expresserit, inclu-
serit tamen divinitatis personas. Sufficit itaque Iohan-
nem non in suo sed Dei nomine baptizasse. Sive igitur
initio in nomine Messiæ mittendi & adfuturi, sive dein-
ceps in nomine misi & exhibiti baptizarit, quis non tali
formulâ omnes personas includi & implicite contineri
agnoscat? Agnovit hoc certè Ambrosius lib. 1. de Spir.
S. c. 111: *Sicut, inquit, qui benedicitur in Christo, benedici-
tur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; quia unum no-
men, potestas una: ita etiam, ubi operatio aliqua divina aut Pa-
tris, aut Filij, aut Spiritus, designatur; non solum ad sanctum
Spiritus, sed etiam ad Patrem refertur, & Filium; nec solum
ad Patrem, sed etiam ad Filium, & Spiritum. Denique & AE-
thiops, eunuchus Candacis reginae, baptizatus in Christo, plenum
mysterium consecutus est. Et aliquanto post: Si unum in ser-
mone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. fide
autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum abneget; plenum
est fidei sacramentum. Ac mox: Cum enim dicitur, in no-
mine Domini nostri Iesu Christi, per unitatem nominis imple-
tum mysterium est. Et paullo post: Qui unum dixit, Tri-
nitatem signavit. Si Christum dicas; & Deum Patrem, à quo
unctus est Filius, & ipsum, qui unctus est, Filium, & Spiritum,
quo unctus est, designasti. Et si Patrem dicas; & Filium eius,
& Spiritum oris eius, pariter indicasti: si tamen id etiam corde
comprehendas. Et si Spiritum dicas; & Deum, à quo procedit
Spiritus, & Filium, quia Filij quoque est Spiritus, nuncupasti.*

XXX. Baptismum itaque utpote ordinarium me-
dium ad æternam salutem capessendam, necessarium esse,
nemo

nemo quidem dubitare poterit; interim tamen non est ita necessarius, ut ab eo æterna salus præcisè & simpliciter pendeat, vel quasi Deus citra baptismi usum neminem salvum velit, aut facere possit. Est profectò humanæ vitæ conditio adeò misera & incerta, ut quovis momento mors baptismum antevertere possit.

XXXI. Adulti ad baptismum non admittuntur nisi priùs capita fidei Christianæ edocti, quod apud plerosque, non exiguum requirit temporis spacium. Hinc sub nascentis Ecclesiæ initijs, quum adulti frequentes baptismum ambirent, non è vestigio admissi, sed inter Catechumenos five Audientes standum ijs aliquamdiu fuit. Dicebantur Audientes quia toto illo tempore nihil agebant aliud, nisi ut audirent qualis esset Christiana fides, & qualem vitam, fidem istam professos, vivere deceat. Augustinus libro de fide & operibus cap. vi: *Quid aliud agit, inquit, totum tempus, quo Catechumenorum nomen & locum tenent, nisi ut audiant quæ fides & qualis vita debeat esse Christiani?* Ex inferiore Catechumenorum five Audientium gradu, ad supèriorem Competentium transferebantur. Erat autem Competentium proximus ad baptismum gradus; à petendo enim dicti Competentes, quos haut incongruè baptismi candidatos appellaveris. Isidorus de officijs Ecclesiasticis libro ii cap. xxi; *Competentes, ait esse, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinent. Ideoque, inquit, appellantur Competentes, id est, gratiam Christi petentes. Nam Catechumeni tantum audiunt nec dum petunt.*

XXXII. Per hosce gradus, antequam baptismi compotes fierent, transeundum erat. Nullum verò dubium eo temporis tractu nonnullos inopinatâ morte oppres-

oppressos, præsertim ferventibus persecutionibus, in quibus Christiani sæpe catervatim ad necem abripiebantur. Neque etiam melior est infantum conditio, quorum imbecillitas & valetudo maximis exposita periculis. Alij antequam lucem videant in utero matris suffocantur; alios citius, quàm ut humanâ industriâ baptismo initiari queant, *Auferet atra dies, & funere mergit acerbo.*

XXXIII. Omnibus itaque, sive adultis sive infantibus, improvise & inevitabili casu, priusquam baptismo initiari queant, sublatis, æternam felicitatem abjudicare, & nunquam desituris poenis torquendos tradere, magis durum & crudele est, quàm ut Divinæ benignitati, infinitæque misericordiæ conveniat.

XXXIV. Nihilominus tamen primitivæ Ecclesiæ doctores in diversas hîc eunt partes. Adultos quod attinet, eorum votum & desiderium sumendi baptismi pro reipsâ & baptismo jam sumto interpretantur, & Catechumenos martyres factos, baptismo sanguinis sive martyrij baptizatos dicunt. Non quòd martyrium pro baptismo propriè dicto acceperint, sed quòd putarent ardens illorum desiderium seriumque votum rei ipsi æquiparandum, nec magis de eorum, quàm baptizatorum salute dubitandum esse.

XXXV. De infantum autem sine baptismo discedentium salute dubium movent Latini, Græcis tamen non minus his quàm adultis eam concedentibus. Neque etiam inter ipsos Latinos convenit. Nonnulli enim infantibus, qui causis naturalibus & inopinatis sic ferentibus, morte suâ baptismum anteverunt, solam damni poenam, alij utramque, & damni & sensus denunciant. Scholastici hac de re variæ disputant.

XXXVI. Cæterùm quum sciamus, Deum *velle*
1 Tim. 2, 4. *omnes homines servari, perire neminem; Nolle ut pereat ullus*
2 Petr. 3, 9. *ex parvulis;* haut patimur nos induci, ut de salute disce-
Matt. 18, 14. dentium sine baptismo eorum, qui Christianis paren-
tibus nati serijsq; votis Deo commendati fuerunt, du-
bitemus, aut rigidæ Latinorum sententiæ subscriba-
ums. Si enim vult omnes etiam parvulos servari vo-
luntate efficaci, sine dubio etiam ijs, ut omnibus alijs ser-
vandis, sufficiens medium ordinavit. Tale verò medi-
um, quo servari infantes queant, nullum aliud ab homi-
num parte dari potest, præter hoc unum, quod in paren-
tum desiderio & voto, ad eorum prolem interpretativè
pertinente, collocatur.

XXXVII. Ritus qui baptismum constituent, ejus-
que ad essentiam ut ita dicam, pertineat, non esse alios,
quàm quos Scripturâ disertè exprimit, invocationem vi-
delicet personarum divinitatis & ablutionem, manifestū
est & sufficienter declaratum. Deinceps verò alios ritus
accessie, & ab antiquæ Ecclesiæ Rectoribus bonâ inten-
tione additos fuisse non ignoramus. Quàm tamen sim-
pliciter tempore Iustini Martyris, qui altero post exhibi-
tum Messiam seculo vixit, administratus fuerit, ex ejus A-
pologiâ posteriorem locum occupante potest cognosci.
Successu temporis, ceremoniarum & solennitatum mo-
le usque adeò obrutus est, ut simplex & essentialis ad sper-
gendi ritus, operosiore agendi ratione, adhibitisque re-
bus aquâ potioribus & preciosioribus, veluti obscura-
retur.

XXXIIX. Ecclesia autem non solùm instituendi
novi ritus, si usus exigat, sed etiam si ab usus appareat, anti-
quum abrogandi potestatem habet. Quum igitur neces-
saria reformatio apud nos in Occidente successum forti-
retur

retur & progressum faceret merito imminutus est ingens rituum baptismo superadditorum numerus, & abrogati illi, qui vel prorsus supervacanei esse, vel baptismo derogare, aut simpliciores in fraudem & errorem inducere posse viderentur. Proclive enim erat illos falli, & res preciosas, cujusmodi Chrisma ex oleo & balsamo confectum, præ aquâ æstimare; item actionem operosiorum simplici adpersioni præferre, ijsq; omnibus, quæ secundum externam apparentiam preciosiora & speciosiora essent tantumdem vel etiam plus, quàm baptismo nudè secundum Christi institutionem & mandatum administrato, tribuere.

XXXIX. Cæterum mirabitur fortè aliquis, quí factum quòd reformationis auctores inter ceremonias & ritus, quos abdicare visum fuit, Exorcismum remotum noluerint. Respondet Corpus Doctrinæ Iulium, ideo ex primævâ antiquitate, sicut testimonium perhibeant Tertullianus, Cyprianus, Nazianzenus, Augustinus, ad nos derivatum retineri, ut constet nos agnoscere, quòd omnes ex Adamo communi modo progeniti naturâ sint filij iræ, sub potestate Satanae & damnationis rei. Nos verò licet ceremoniæ hujus usurpandæ nullis imponamus necessitatem, neque aversemur non utentes; nolimus tamen, ritum antiquitus receptum, & continuâ consuetudine ad nostra usque tempora propagatum, vanitatis vel impietatis insimulare.

XL. Finem facimus in medium prius allatis Caspandri verbis ad Exorcismi explicationem facientibus. *Est, inquit, hic exorcismus, atque hæc exsufflatio actio pia & mystica in Ecclesia Christi, jam inde ab antiquissimis temporibus recepta, quâ Ecclesiæ minister significat & testificatur, omnes homines etiam infantes, nondum in Christo per Spiritum sanctum*

In Appen.
pag. 111.

De baptis-
mo Infant.
p. 750. 751

sanctum regeneratos, in regno tenebrarum, peccati & diaboli
vinculis obnoxios teneri, qui Ecclesiae ministerio ab ipso Christo
Ecclesiae commisso, in celebratione hujus mysterij, depulsa & pro-
fligata diaboli potestate, in libertatem filiorum Dei asserunt.
Deinde minister Ecclesiae, tamquam divini judicij executor dia-
bolo imperat, ut ab homine, quem peccati vinculo obstrictum,
& potestati suae subjectum tenebat, vim suam & tyrannidem,
quam in omnes filios tenebrarum exercet, abstineat, & regno
Dei locum cedat. Adhuc hujusmodi exorcizatio vim habet
precationis, qua minister Ecclesiae nomine Deum obtestatur, ut
Diaboli potestatem infringat. Quare virtus omnis exorcismi,
non in ipsis conceptis verbis, sed in ipsa Ecclesiae precatioe,
qua cum juxta Dei verbum fit, inanis esse non potest, constituta
est. — Manifestum igitur ex his est, quomodo hoc exorcismo
infans nondum regeneratus, in diaboli potestate esse significetur,
non quod ejus corpus a diabolo obsideatur, quod quibus accidit
Graecis *ἑρεψύμωροι*, Latinis arrepticij vocari solent: sed quod o-
mnis, qui extra Christi regnum est, ad diaboli regnum pertineat,
in quo qui adhuc tenentur, filij ira, inimici Dei, & captivi Dia-
boli nuncupantur. Neque vero quisquam est, qui vel hunc exor-
cizandi, vel quemvis alium ab Ecclesia in Baptismi mysterio ce-
lebrando usurpatum ritum, baptismo Christi parem faciat, vel ad
baptismi gratiam consequendam, simpliciter necessariam ducat,
sed quod ad virtutem & efficaciam hujus mysterij amplifican-
dam, & hominum animis efficacius insigendam, hujusmodi
ceremonia tamquam viva quaedam verba utiliter
adhiberi censeantur.

F I N I S.





DE SANCTA EUCHARISTIA.

Dest expositam de Baptismo doctrinam, alterum novi Testamenti Sacramentum sacram scilicet Eucharistiã explicare aggredimur, in quã Servator noster ex immenso, quo erga genus humanum flagrat amore, corpus suum, quod pro nobis in mortem tradidit, quando benedictus panis comeditur, edendum, & sanguinem suum, quem pro nobis in cruce effudit, quando calix bibitur, bibendum exhibet hoc fine, ut tantum beneficium eo altiùs animis nostris per ejusmodi efficacem commemorationem imprimatur, nobisque confirmetur remissio peccatorum & jus ad eundem vitam æternam.

II. Deplorari autem vix à quoquam satis potest improba illa diaboli techna, per quam factum, ut quod olim mutui amoris & concordie symbolum Servator esse voluit, nunc materia odij imò mater maximi in Ecclesia dissensus audiat. Tanta quoque hominum est sive infirmitas sive perversitas, ut quod optimus maximus Servator humanæ salutis medium & adminiculum esse voluit, id ipsi ad suam perniciem convertant. Sanè si ullum dogma hodie Protestantium Augustanæ confessioni additorum & Reformatorum & Pontificorum animos disjungit, & mutuan communionem impedit & abrumpit, id Sacramentum Eucharistiæ esse nemo inficias ire poterit.

A

III. Nos

III. Nos autem nostræ sententiæ fundamentum ponim⁹ ipsam servatoris nostri enunciationem, ut jacet & sonat; minimè verò humanam aliquam absurdi persuasionem, humanum aliquod figmentum aut vel explicationem ab homine, qui infallibilis fingatur, profectam vel approbatam. Verbis, inquam, institutionis, quæ veram, realem ac, ut ita loqui liceat, substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam disertè & perspicuè enunci- ant, constanter inhæremus, nec dubitamus Deum infini- tâ suâ potentiâ præstare posse, quorum præstandorum ra- tio ab infirmo nostro intellectu comprehendi nequeat. Aliter enim ne resurrectionem quidem mortuorum ad- mitteremus, ut de mysterijs Trinitatis & Incarnationis ni- hil nunc dicamus. Si itaque vel maximè hic quædam ap- parens absurditas sive impossibilitas intellectui nostro of- feratur, eâ tamen induci nos minimè patiemur, ut verba Christi, veri & omnipotentis Dei, in dubium vo- cemus, sed potius imbecillitatem nostri intellectus accusa- bimus, quæ tanta est, præsertim post lapsum, ut etiam in- ijs quæ naturaliter cognosci possunt frequenter aberret, nedum ut quæ supernaturalia sunt captumque hominis, non modò finitum, sed etiam valdè imbecillum longissi- mè excedunt, perfectè adsequi & penetrare valeat.

IV. Non est igitur cur nobis à Reformatis persua- deri patiamur, literalem & proprium verborum, quem a- nimis nostris ingerunt, sensum deserendum esse, quum nulla appareat necessitas, quæ nos, à proprietate verbo- rum & communi eorum intelligendi modo deflectere co- gat. Cogeret sanè si qua dari posset, per quam demon- straretur, nullo modo divinâ infinitâ potentiâ præstari posse, ut verba Servatoris in simplice suo sensu verificen- tur. Nisi enim concedamus, per infinitam sive essentiam
sive

sive potentiam fieri, ut vera sint, quæ manendo intra rerum finitarum terminos vera esse non possent, multi articuli fidei abnegabuntur. Quin potius sequamur sententiam Zachariæ Ursini, Doctoris inter Reformatos magni aliàs nominis, qui disputans contra Anabaptistas statuentes *synechdochen* in voce *familia* ab Apostolis baptizatæ, *non est decurrendum, inquit, ad figuram, ubi nulla est ratio cur non retinatur sententia propria.* Iam verò nullum absurdum gignit hic sensus: non inpingit in alium aliquem scripturæ locum; non in ullum Christianæ fidei articulum. Cur ergo à *τῶ πῖντῶ* verborum Christi recedamus?

V. In literali itaque sensu hîc retinendo nos confirmat natura articulorum fidei, & eorum, quæ divinitus peculiariter revelantur. Nisi enim in his verborum proprietatem studiosè sectemur, facile in errorem abripi possumus. Esto quidem, quòd alicubi in mysterijs proponendis figurati sermonis sit usus, hoc verò rursus certissimum est, nullum esse præceptum, nullum articulum fidei, qui non alicubi in scripturâ propriis & perspicuis verbis proponatur.

VI. Porro Testamenta sive Pacta concipi & proponi solent verbis proprijs claris & perspicuis. At Servator hic fœdus sanciebat, vel certè declarabat & confirmabat.

VII. Ipsi præterea divini scriptores, qui sacra Cœnæ institutionem commemorarunt, ad unum omnes de proprio ejus sensus luculentum perhibent testimonium, dum nullo indicio verba Christi, improprie debere accipi significant. Quid itaq; nos moveret, ut proprio & literalis sensu relicto improprium & figuratum amplecteremur? Priusquam autem in Reformatorum argumenta inquiramus, verba institutionis proprio & genuino sensu pendenda veniunt.

IIIX. Sic scribunt, qui Christi amannenses haut im-
meritò censentur, sancti Evangelistæ & sanctus Paulus
Dominus noster Jēsus Christus in eâ nocte, quâ traditus est acce-
pit panem, & postquam gratias egisset fregit ac dedit discipulis suis
dicens: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.
Hoc facite in mei commemoratibnem. Similiter accipiens & ca-
licem postquam cœnasset gratias egit ac dedit illis dicens: Bibite
ex hoc omnes; Hoc enim est sanguis Novi testamenti, qui pro mul-
tis effunditur in remissionem peccatorum (apud Lucam & Pau-
lum, Hic calix est novum testamentū in meo sanguine, qui pro vo-
bis effunditur) hoc facite quotiescunque biberitis in mei comme-
morationem: & biberunt ex eo omnes. Math. 26. v. 26 & 27.
Marci 14. v. 22 & cæt. Lucæ 22. v. 19 & 20. Priore. ad Cor-
und. v. 23 & c. Quærenti itaq; an porrecto pane & vino
nudum panem & vinum vel præter hæc externa symbola
aliud quid manducandū ac bibendum porrexerit, respon-
demus citatis verbis: *edite hoc est corpus meum: bibite hoc est
sanguis meus:* quæ quum ipsius Servatoris sint verba, assen-
sum à nobis extorquent, Christum verum suum corpus &
verum suum sanguinem, in sacrâ Cœnâ nobis manducan-
dum ac bibendum exhiberè.

IX. Argumentum qui à nobis petit, tale accipiat. De
quo Christus claris & disertis verbis dicit, Hoc est corp^o me-
um, Hoc est sanguis meus, id est corpus & sanguis ejus. Sed
de eo, quod in S. Cœnâ ore corporeo manducandum exhi-
betur, dixit Christus, Hoc est corpus meum; & de eo quod
ore corporis bibendum exhibuit dixit, Hoc est sanguis
meus. Ergo quod in S. Cœnâ ore corporeo manducan-
dum exhibetur est corpus Christi, & quod ore corporeo
bibendum exhibetur, est sanguis Christi.

X. Minor probatur expressis & perspicuis Christi verbis
qui-

quibus duo significantur, nempe manducatio & bibitio
propriè sic dicta, quæ aliter fieri non potest quàm ore cor-
poreo, nec aliter facta est ab Apostolis. Hoc est unum.
Alterum est, non solum panem, sed ipsum substantiale
corpus Christi exhibitum fuisse ut manducaretur; & non
solum vinum, sed ipsum Christi sanguinem, ut biberetur:
panis enim non est corpus Christi, nec vinum sanguis ejus.
Dices, Ad quid ergo referri debet particula τῆτο, si non ad
proximè præcedens? Respondeo, quòd referri debeat ad
aliquid quod cum visibilibus pane & vino conjungitur in-
visibiliter, nempe ad corpus & sanguinem Christi: ut sen-
sus sit, Accipite, edite, Hoc quod quando porrigitur panis,
unà edendum porrigitur, est corpus meum: bibite, hoc
quod cum vino porrigitur, est sanguis meus. Planum hoc
reddunt alia hujus generis exempla. Quum enim ostenso
dolio dico; Hoc est vinum: licet omnes videant, digito à
me monstrari dolium, nemo tamen adeo est fatuus ut
intellectu suo concipiat τὸ hoc supponere pro dolio, & de
eo prædicari quòd sit vinum, sed prædicatum nempe τὸ vi-
num quod sequitur & additur, intellectum determinat, ut
sub particulâ Hoc concipiat quod est in dolio. Si autem
digitum intendam in dolium, & dicam Hoc est lignum,
verbi gratiâ, quernum, faginum vel abiegnum; quilibet
audito prædicato judicare potest voculam hoc non deno-
tare vinum, sed ipsum dolium, de quo verè affirmari po-
test quòd sit lignum. Idem judicium esto de similibus
propositionibus exhibitivis & de hac Christi, τῆτο hoc est
corpus meum; ubi ex prædicato colligimus voculam τῆτο
hic non supponi pro pane, quum panis in se spectatus non
sit corpus Christi, sed quid per eam intelligi debeat co-
gnosco ex prædicato, nempe corpus Christi voculâ τῆτο
includi, & per subsequens prædicatum distinctè demum

A 3

expri-

exprimi. Neque naturalis ratio ullam aliam hujusmodi exhibitivas propositiones intelligendi viam subministrat.

XI. Ajunt quidem constare ex præcedentibus, quòd Servator de solo pane, quem discipulis tradidit, loquatur; non posse itaque aliud quàm panem voculâ *hoc* intelligi. Sed respondemus, si Christus ad panem referri voluisset, non *ratio* sed *gr̃* dixisset. Res quidem, quæ prædicato exprimitur, si sensibus obvia est, nec aliâ tegitur aut includitur, mediante sensu promptum est intelligere, quid per Hoc denotetur. Ex. gr. Quando flavum vel rubrum aliquod monstro & dico, *hoc est flavum*, vel *hoc est rubrum*, visui statim obvium est quid per *hoc* denotari velim. Econtra autem si res, quam indicare intendo, sensus, uti hîc, subterfugit, neque eorum adminiculo dignosci potest, quid in animo sit indicare; in talibus vocabulum Hoc ex prædicato intelligitur. Quia igitur *ratio* corpus Christi esse affirmatur, per eam voculam id ipsum, quamvis confuse & implicite significari, rectè colligitur.

XII. Hæc sanè sententia quotidiano loquendi usu comprobatur & confirmatur. Quando enim duo adsunt, unum quod sensuum interventu innotescat, alterum verò cum priore quidem conjunctum sed occultum; quando alijs, quidnam illud occultum sit, indicare volumus, rem quidem manifestam & sensibus expositam monstramus, & subjecti loco adhibemus pronomen Hoc vel *ratio*; prædicato autem subjuncto id ipsum, quòd aliàs occultum alijs indicare & innotescere volumus, perspicue enunciamus, & vocabulo propriè accepto exprimimus. Verba itaque Servatoris istâ simplicitate atque eo modo, quo naturalis interpretandi ratio super ea fertur, accipimus. Ipsa enim recta ratio dicitur, si Deus nobis mysterium alioquin incognitum, & quod nullâ aliâ ratione innotescere.

notescere possit revelet, voces quibus quum revelat, utitur, non esse aliter quàm jacent ac sonant accipiendas, nec nostro arbitrio in sensum qui nobis arridet torquendas. nam si aliter nos gesserimus, incerti erimus num sensum revelationis divinæ habeamus vel figmentum cerebri nostri. Etiam si igitur rationis nostræ & naturæ modum excedant, affirmamus tamen cum Augustino, quod in *tabulis tota ratio facti sit potentia facientis*; & aureum illud Cyrilli monitum aures animosque nostros percellit: *Nos magnum è peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysteriis adhibentes nunquam in tam sublimibus rebus illud QUOMODO aut cogitemus aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est; & extremi supplicij causa.* Aliorum itaque casu & damno admoniti, quando Deum operari audimus, non quæramus *quomodo*, sed operis sui viam, modum ac notitiam illi soli relinquamus.

XII. Hanc nostram de Sanctâ Eucharistiâ sententiam simplici ac planâ verborum institutionis acceptione niti, & à violentis detorsionibus alienam esse, æquus censor facile agnoscat. Nihilominus non desunt, qui nullâ urgente necessitate à literali ad figuratum sensum descendentes, se Servatoris verbis inhærere, ijs neq; addere neque demere quicquam, nos verò ea corrumpere & claris perspicuisque nubem obducere persuasi sunt. Rationes quibus pugnant è scriptis subinde emissis innotescunt.

XIV. Verba institutionis, de quorum sensu inter partes lis est, non nemo ita exponit; servatorem quum panem sumsit & dixit *Hoc est corpus meum*, particulâ demonstrativâ τῆτο ad solum panem, quem manibus contrectaret & frangeret, respexisse, & dixisse, panem esse corpus suum, uempe verum & naturale corpus conceptum & natum ex virgine matre, paulo pòst cruci affixum & in morte

tem

tem traditum. Has itaque propositiones *Hoc est corpus meum*
& *Hic panis est corpus meum* æquipollentes esse, eundemque
sensum obtinere.

XV. Cardo controversiæ hujus vertitur circa ac-
ceptionem particulæ *τῆτο*, quæ, si referatur ad panem &
vinum, nec nisi pro illis supponere intelligatur, quum
panis non sit corpus, nec vinum sanguis Christi, prædica-
tum de subjecto non poterit verificari nisi corpus & sanguis
impropriè & figuratè pro signo, symbolo sive typo corpo-
ris & sanguinis Christi accipiantur. Verùm si particula
τῆτο referatur ad aliquid cum pane & vino visibili invisibi-
liter conjunctum, ad corpus videlicet & sanguinem Chri-
sti, nulla erit necessitas ad figuras & improprietates dilaben-
di, sed verborum Christi hic erit sensus, simplex & planus,
Accipite, comedite, τῆτο hoc (quod comedendum accipi-
tis, quando panem accipitis) *est corpus meum; Bibite, τῆτο hoc*
(quod cum vino bibendum porrigo) *est sanguis meus*

XVI. Hunc genuinum & literalem sensum esse com-
munis loquendi usus docet. Subjectum enim non suppo-
nit pro alio sive nihil significat aliud, quàm quod significa-
re prædicato enunciatur. Est enim vera Logicorum maxi-
ma, *Talia esse subjecta, qualia permittantur esse à suis prædica-
tis*. In præfenti negotio subjecti loco ponitur particula
τῆτο, quæ nihil adhuc determinat, sed audientem in su-
spenso relinquit, donec prædicatum, quid per illam signifi-
cetur, subjungat.

XVII. Et sic se res habet in omnibus illis enunciatio-
nibus, quibus eadem formulâ alter alteri duas res diversas
quidem, sed conjunctas, exhibet. Quum enim subjecto
H O C utraq; involvatur, additur prædicatum, quo indica-
tur id, ad quod audientem volumus respicere, aut quod, nisi
indicaretur, notitiam ejus subterfugeret. Quum igitur
indica-

indicari audit, prædicatum, cum HOC, quod subjecti locum tenet, ita componit, ut utrumq; pro eodem accipiat; alterum autem, quod aliàs in sensus incurrit nec iudicio indiget, prætereat. Sic dicimus ostenso vel exhibituro urceo, Hoc est vinum Rhenanum; ostensâ vel exhibitâ crumenâ, Hoc est summa centum aureorum; ostenso vel exhibituro vitro, Hoc est pharmacum pro pulmonibus. Objectum inquam, quod in sensus incurrit & oculis exponitur, indicari opus non est, sed saltem id, de quo non constaret nisi indicaretur. Ita panem esse, qui exhibeatur, nullo eget iudicio: sed exhiberi etiam corpus Christi, nisi Christus adsereret, nemo nosset. Nisi autem exhibeatur, verbis eius suus genuinus sensus non constabit.

XVIII. Simplici huic & literali expositioni inhæremus, persuasi *Christum non aliter, quàm disposuit, pronunciasse, nec aliter disposuisse, quàm pronunciauit.* Qui metonymiam & figuram hîc obtrudere conantur, eos quâ necessitate adacti à sensu simplice ad figuratum descendant ostendere oportet. Nos enim, qui nativum & communi loquendi usu confirmatû amplectimur, non tenemur eum rationibus aliunde petitis demonstrare: qui verò admittere nolunt, eos oportet evincere, quòd sit vel evidenter absurdus; vel implicet contradictionem; vel cum alijs Scripturæ locis pugnet; vel divinæ omnipotentia simpliciter impossibilis.

XIV. Enunciari aliquid quod vel à sensu, vel à communi rerum nobis cognitarum ratione abludat, id nullius est momenti. Per hanc enim objectionem, si valida esset, everteretur non tantum præsentia corporis & sanguinis Dominici, de quâ hic agitur; sed etiam mysterium Trinitatis divinarum personarum, & Incarnationis, & Resurrectionis, & alia plura. Nos autem convinci non

B

pore-

Tertull.
adversus
Praxeam
c. II.

poterimus nisi demonstraretur, à Christo non posse ullo modo præstari & in rem conferri, quod simpliciter enunciavit. Mirum verò si tantum sibi sumere limitesq; suos tantopere excedere ausit ullum ingenium humanum.

XX. Observandum id quoq; fuerit, sanctum Paulum quando subjectum HOC mutat in *Panem*, tum eum quoq; prædicatum immutare, & dicere, quòd panis sit communicatio corporis Christi, 1. Cor. x, 16. Panem videlicet communicationem corporis esse dicit, ut non nudum panem exhiberi doceat, sed communicativum corporis Christi. ἔστι, inquit, *κοινωνία τῶ σώματος* & τῶ *χριστοῦ*; Non itaq; cerebri nostri ductum, sed Paulum præeuntem sequimur, optimum scilicet verborum magistri sui interpretem.

XXI. Quando autem nostram sententiam oppugnant, propositionem, *Hic panis est corpus Christi*, assument, & multa inde deducunt absurda. Verùm quum illam sensu, qualem ei tribuunt adversarij, neque probemus neq; nostram esse agnoscamus, cuncta inde deducta eiq; inædificata corruunt & in fumum abeunt.

XXII. Vfos eâ propositione & olim priscos & hodie recentiores nonnullos Ecclesiæ Doctores, non quidem ignoramus, sensu tamen tali, qualem isti interpretes induunt, accepisse negamus. Per vocabulum enim Panis talem panem intellectum voluerunt, cui corpus Christi certò & ineffabiliter quidem, sed tamen infallibiliter esset conjunctum. Sicitaque propter unionem, quam sacramentalem appellare liceat, de pane prædicari, quòd sit corpus Christi, id est, quòd sumto & manducato pane non minùs sumatur & manducetur corpus Christi, quàm si panis esset corpus Christi.

XXIII. Est fortè aliqua convenientia unionis personalis
cum

cum hac sacramentali, non tamen admodum solida & perfecta. Nolumus igitur ei adducendæ vel exponendæ immorari.

XXIV. Phrasis autem sive loquutio ista Ecclesiastica, *Panis benedictus est corpus Domini*, inde enata esse videtur, quòd veteres nonnulli, qui eâ usi sunt, animadvertunt similitudinem intercedere inter corpus Christi, & panem cum quo participatur: atq; adeò mysterium hoc ita esse comparatum, ut quod efficit, id itidem aptum sit significare; sive quod eodem recidit, panem benedictum esse symbolum corporis Domini non tantùm significans vel adumbrans virtutem ejus, sed ipsum reapse exhibens. Propositio igitur ista si ad eum aut similem modum capiatur nostram sententiam exponit potiùs, quàm labefactat, nec adversæ favet aut suffragatur.

XXV. Observandum tamen quod etiam pridem monuimus, Scripturam quando mutat subjectum tunc etiam mutare prædicatum atq; adeo istas *Hoc est corpus Christi*, & *Panis est communicatio vel participatio corporis Christi* præponderare, & præcipuè, imò unicè, quid importent, attendendum esse. Alteram *Hic panis est corpus Christi*, non quidem prorsus rejicimus, sed verbis Christi *Hoc est corpus meum*, ita æquipollere negamus, ut perinde sit sive hac sive illâ utaris, præsertim inferendo & argumentum inde texendo. Argumenta igitur, quæ vel Majoris vel Minoris loco eam assumunt, tanquam vel falsâ vel ambiguâ sive æquivocâ nixa hypothesi sive præmissâ, invalida sunt.

XXVI. E quibus manifestum est, oleam atque operum perdidisse eum qui sic fuit argumentatus: *Panis Eucharisticus sumitur ore visibiliter & manducatur sensibiliter. Panis Eucharisticus est corpus Christi. Ergo corpus Christi sumitur ore vi-*

ore visibiliter, & manducatur sensibiliter. Negatur Minor illo quo isusus est sensu. Eiusdem farinae est hoc quod sequitur: *Corpus Christi pro nobis in mortem traditum est. Panis est corpus Christi. Ergo panis pro nobis in mortem traditus est. Si Servatoris nostri verba alijs non commutemus, sed ipsa illa, quibus sanctam Eucharistiam instituens usus est, adhibeamus, & in locum Panis particulam τῆτο surrogemus, tale erit argumentum: Corpus Christi pro nobis in mortem traditum est. τῆτο Hoc, quod Servator comedendum dedit quando benedictum panem dedit, est corpus Christi. Ergo τῆτο Hoc, quod servator comedendum dedit, quando benedictum panem dedit, est pro nobis in mortem traditum.*

XXVII. Diximus Reformatos à simplici & literali verborum institutionis sensu ad figuras & improprietates delabi: quod ut sibi licere persuadeant, idem nobis impingere satagunt, nescio quas circa manducationem oralem improprietates commenti. Persuasi esse videntur, manducationem si supernaturalis sit, oralem & propriè dictam tollere; sive *Edere* non posse accipi de orali & propriè dictâ manducatione, nisi sensuum gustus tactusq; intercedente operatione peragatur, & iudicio confirmetur. Nos autem qui corporis Christi in sanctâ Eucharistiâ manducationem insensibilem & supernaturalem esse doceamus, à propriâ & literali vocabuli acceptione ad impropriam delabi; figuras itaq; & improprietates, quas aliâs damnemus & in verbis institutionis haut admittendas esse existimemus, nosmet sectari. Verùm non considerant modum manducandi non constituere essentiam manducationis. Potest igitur esse vera manducatio etiamsi sit supernaturalis, ratione videlicet modi, quo cibus insensibiliter offertur. Sic præsentia corporis quamvis inconspicui, ut quum Servator abscondit se, transiens per medium Iudæorum, Ioh. iix, 59, ni-

59. nihilominus est præsentia. Generatio Filij Dei est vera & propriè dicta generatio, etiam si sit supernaturalis. Sic panum & piscium in deserto vera fuit manducatio, quamvis modus conferendi & impertiendi esset supernaturalis.

XXIIX. Sufficienter hætenus ostensum putamus, nullam nos in sanctâ Eucharistiâ admittere figuratè & impropriè dictam manducationem. Qui verò contrâ sentiunt, tantam vocabulorum introducunt metamorphosin, ut vocabulum Edere, Bibere in Credere transmutent: & ne quidem in metaphotâ illâ acquiescunt, sed Edere, Bibere pro lubitu & re natâ, modò propriè & simpliciter, modò impropriè & metaphoricè accipiunt. τὸ Edere enim si referatur ad panem, & τὸ Bibere ad vinum, tunc propriè; si ad corpus & sanguinem Christi, tunc impropriè capiendum esse docent. Fieri autem non potest ut unum simplex vocabulum semel prolatum ad eò diversis significationibus sit obnoxium. Si dixisset Servator divisim & distinctè, Edite panem, & edite corpus meum, tum persuaderi posset priore loco propriè & posteriore impropriè capi. Sed non nisi semel & simpliciter prolatum, itidem non nisi unam & simplicem obtinere potest significationem: non potest, inquam, simul & semel idem esse quod Edere, & idem quod Credere.

XXIX. Nihil nunc dicam de eo, quòd planè violentum imò absurdum sit, si Edere & Bibere pro Credere accipiantur: & nisi sic, addendum fuisse vocabulum *oralis*. Est enim de intrinsecâ & formali ratione manducationis & bibitionis propriè acceptarum, ut ore fiant, nec solet aut opus est addi, quòd sit oralis manducatio: sicut de ratione cursus & ambulationis est, non ut auribus vel naribus vel oculis, sed ut pedibus fiat; nec opus est dici pedestrem cursum vel ambulationem.

XXX. Neq; etiam manducatio indignorum inducere debet, ut à simplici verborum explicatione & verâ comestione corporis propriè dicti recedamus. Quamvis enim incongruum videatur verum corpus Domini ab indignis manducari, tamen necessarium est verba Domini veritatem suam obtinere, sive ad dignos proferantur & referantur, sive ad indignos. Fuissent enim aliàs vera & non fuissent. Vera fuissent quatenus dicta sunt Apostolis fidelibus, non fuissent vera, quatenus dicta sunt Iudæ proditori. Sic propositio *Deus est creator cæli & terræ, omniumq; creaturarum*, vera est, sive proferatur ad Christianos, sive ad paganos & infideles, sive ad ipsum deniq; satanam.

XXXI. Observandum autem indignos illos nihilominus Christianos esse, & saltem *occultè indignos*; nam si de indignitate eorum constet, non admittuntur. Sunt itaque membra visibilis ecclesiæ, & eatenus corporis Christi. *Non est impiis & incredulis*, ut ait alicubi Bucerus, *sed indignis Christianis concessum quod illis concedit Christus & Paulus*. Mirum enim non est, quòd hisce benignus & *Φιλάνθρωπος* Servator, ut ad cor redeant, compungantur & ad pœnitentiam invitentur, corpus suum in sacramento, *sine ullâ sui passione vel injuria sensu, velit exhibere*, quod olim ad eorundem redemptionem & salutem impijs *cum verâ sui passione & acerbissimo cruciatuum sensu* flagellandum & torquendum exhibuit.

XXXII. Præterea ajunt, perperam nos ijs exprobrare, quòd prædicatum figuratè capiant, quum nosmet in subiecto figuram admittamus, dicentes τὸ *Hoc συνειδοχὴν* sustinere. Verùm per synecdochen istam non figuram Rhetoricam, sed potius, ut cum Henrico Stephano loquamur, Grammaticam & in familiari ac quotidiano sermone tritam obviamq; intelligimus: huic autem negotio applicatur,

catur, quòd particulâ τῆτο præter panem, qui in oculos
& sensus incurrit, aliud quid contineatur. Derivatur à συν-
ειδέχομαι, quod significat unà comprehendendo.

XXXIII. Egregiè rem exponit venerabilis Academiae
hujus Senior, in Epitome Theologiae, quam ante com-
plures annos ex ore dictantis exceptam emisserunt audi-
tores. Quoniam, inquit, simul accipitur & comeditur panis, pag. 224.
qui certè corpus Christi identicè non est, neq; dici potest, τὸ Hoc 225.
συνειδέχον̄ sustinet, nempe licet simul in suo primo conceptu vi-
deatur involvere panem, quum tamen ad prædicatum refertur,
non supponit nisi pro eodem, pro quo ponitur vox prædicati. Atq;
hac synecdoche infamiliari sermone frequentissima est, atq; ex-
cidit omnibus nihil minus quàm de figurato sermone cogitantibus
&c.

XXXIV. Deinde etiam hoc urgent, inter proprium &
improprium non dari tertium: propositionem itaq; hanc,
Hoc est corpus meum, vel esse propriam vel impropriam. Non
esse propriam, ipsos ajunt agnoscere Lutheranos: haut i-
taq; posse effugere quin improprium & figuratum sensum
admittant. Sed respondemus, propositionem hanc im-
propriam aut potius inusitatam appellari, non quidem
ratione modi enunciandi, sed ratione materiae: inusita-
tum enim erat, ut quis panem alteri porrigens adderet &
diceret, *Hoc quod det esse corpus suum*. Interim ratione e-
nunciandi propositio ista manet propria. Subiectum enim
& prædicatum capitur proprio & usitato significatu.

XXXV. Adjicimus tandem, quæ Iustinus martyr, in-
ter omnes ecclesiasticos scriptores propemodù antiquis-
simus, de Eucharistiâ docuit: è quibus & quomodo in i-
psis Ecclesiae Christianae exordijs administrata, & quo lo-
co habita fuerit, promptum est cognoscere. *Ei, inquit,*
qui fratribus praest, offertur panis & poculum aqua & vini.
qui-

quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filij & Spiritus Sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem, quod nos hisce dignatus sit, prolixè exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actionem absolvit, populus qui adest omnis, fausta approbatione acclamat, dicens: Amen. (Amen autem voce Hebraea Fiat significat.) Praesidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus appreciatione eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, distribuunt unicuique presentium, ut participent eum, in quo gratia acta sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alij participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita, ut Christus tradidit, viventi; sive juxta Christi praescriptum vitam suam instituenti. Non enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per verbum DEI caro factus est Jesus CHRISTVS servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostrae causam habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ab ipso profecti gratia sunt acta, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Carnem & sanguinem Christi esse affirmat, quod verba Christi sollicitare, torquere, vel in dubium vocare non audeat; dicit, eam alimoniam carnem & sanguinem nostrum alij, quod panis & vini substantiam adesse & sumi nullus ambigeret,

Hisce ex Iustino martyre adductis visum est
abrumperè & concludere.

SOLI DEO GLORIA.

00 A 6446


ULB Halle 3
002 935 767




WMA

Retro ✓







5.
ASSERTIONES THEOLOGICÆ
DE
VTROQUE NOVI TESTAMENTI
SACRAMENTO
BAPTISMO

ET
EVCHARISTIA,

Q V A S

A. D. O. M.

SUB PRAESIDIO

FRIDERICI VLRICI CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN ILLVSTRI
IVLIA PVBL. ET ORDINARII
PROFESSORIS,

in publico auditorio ad diem

IV. Nonarum & Septembris
V. Iduum

examinandas proponit

IOHANNES MATTIAS *Duvé* / Batavus
Auct. & Resp.

—o—o—o—

HELMESTADII

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CIO IC C LIV.